



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 26. An sit simonia vendere vel locare jus Decimas aut fructus  
Beneficiorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

communiter nunc intelligatur complexū aliquod partim ex Jure exercendi aliqua ministeria spiritualia, partim ex Jure percipiendi fructus temporales ob tale ministerium, tamen, strictè loquendo, Jus exercendi ministeria spiritualia, dicitur Officium; Jus autem percipiendi fructus temporales simpliciter vocatur beneficium seu Præbenda. Quod ad Officium spectat, certum est illud esse intrinsecè invendibile, quia supposita institutione Ecclesiæ est spirituale, ergo pretio temporali inestimabile, quia spirituale est alterius & plane superioris ordinis. Quod attinet ad Præbendam, certum quoque est ex hac tenus dictis esse invendibilem Jure Ecclesiastico, & latè probat Rayn. c. 10. à n. 7.; quod autem sit invendibilis etiam Jure divino & naturali, diximus tanquam probabilius n. 118.; si tamen talis Præbenda five Jus ad fructus auctoritate Papæ (qui solus id potest) separaretur ab Officio, ita ut fructus non amplius solvi deberent ratione Officii, sed ex alio titulo vel causa, v. g. ob liberalem donationem Papæ propter obsequia temporalia Ecclesiæ præstata &c. tale Jus percipiendi fructus, pretio temporali emi-  
ac vendi posset etiam laico, uti rectè Suar. c. 24. n. 23. & 25. Less. de Just. L. 2. c. 35. n. 19. Rayn. à n. 13.

An pensio fit aliquid spirituale aut vendi possit, dicetur Lib. 4. n. 1118. & 1172.

124 Q. 26. An sit Simonia vendere vel locare Decimas aut fructus beneficiorum. R. §. 1. Si per Decimas intelligantur ipsi fructus, qui ex alieno fundo colliguntur, v. g. frumentum, vinum, certum est, quod liceat hos vendere vel elocare alteri pro annua pensione, quia nihil sunt spirituale, nec de se spirituali annexum: si autem per Decimas intelligatur Jus directum decimandi, hoc Jus est

est invendibile, quia est spirituale vel spirituali antecedenti annexum : potest tamen Jus decimandi, quod est in uno loco, permutaricum jure decimandi in alio, secundum dicta n. 114. Denique si per Decimas intelligatur Jus utile decimandi, si illud auctoritate Papæ vel consuetudine separatum sit à Jure directo , quod semper manet penes Ecclesiam , illud poterit laicis competere & vendi atque emi, ita Engel L. 5. T. 3. n. 22. Similiter si Jus decimandi tibi laico à Papa sit concessum, poteris vendere sine Simonia, *Alloza v. Simonia* Sect. 4. n. 41. & alii.

§. 2. Communis est sententia, licere Beneficiato <sup>125</sup> locare fructus saltem ad breve tempus , quia locatio non inducit separationem à titulo beneficii, uti cum *Suar.* docet *Pirh.* n. 78. Et quamvis in Extravag. *Ambitiosæ* solum triennium concedatur, tamen communis sententia est eam restrictionem non esse plerisque locis receptam, uti testatur *Tolet.* apud *Rayn.* c. 2. n. 25 ; & *Castrop.* p. 13. n. 5. dicit nullibi ferè esse receptam, hinc ubi recepta non est, poterit fieri locatio etiam ad tempus vitæ, ita *Haun. de Just.* T. 6. T. 2. n. 567.

§. 3. Præsentatus, sed à Papa vel Episcopo <sup>126</sup> necdum confirmatus, non potest percipere fructus, nisi velut administrator , sequestrando illos, donec obtineatur collatio tituli & confirmatio, unde priùs non poterit de illis absolutè disponere vendendo vel locando, fructus tamen debentur Præsentato, si confirmetur, *Leß. in Auct. v. Simonia,* c. 8.

Q. 27. An sit Simonia vendere vel elocare <sup>127</sup>  
Jus Patronatus. R. §. 1. Jus-Patronatus est potestas nominandi vel præsentandi Clericum promovendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans.